

deretur? An earum parabolarum veritati, & authoritati quisquam propterea derogatum censeret, quod parabola sint moribus instruendis aptissima? Nisi quis absurdum aliquid sive perniciosum dogma in eo Libro contineri demonstraverit, nunquam evincet contra ejus veritatem. Id ante nos observavit contrariae opinionis assertor precipuus (r), cujus sententia Liber optimus est, egregius, sanctus, utilis, dignus qui Christianis omnibus in deliciis sit; quidquid in eo legitur tanquam sancti alicujus Vatis sive Prophetae Sancto Spiritu afflati sermo habendus est, quo ad mores informamur, deductis veluti in scenam personis, quas aptissimas in eam rem censuit. Si historia Judith, ait ille paulo superius, potuisset certis, & probatissimis historiis fulciri, dignus sane Liber esset, qui cum ceteris Sacris Libris in Canonem referretur.

Cum itaque Liber Judith nihil habeat probatissimis historiis repugnans, & veritatis characteres plures, nec obscuros, quemadmodum huc usque demonstratum est, praeferat, tanquam probatissimam & genuinam historiam recipiendum esse nullus dubito. Nullo vero negotio extrinseca illa authoritas, ex acceptatione Ecclesiae deducta, eidem Operi assereretur. Quamquam ut vera fatear, de illo subdubitatum fuit aliquando, apud quamplurimos Authores, quo tempore ejus authoritas nondum Ecclesiae fuerat explorata. Desideratur in Catalogis Divinarum Scripturarum apud Melitonem, Origenem, S. Athanasium in ejus Epistola Paschali, S. Hilarium, S. Gregorium Nazianzenum, S. Cyrillum Hierosolymitanum, & Concilium Laodicenum. Origenes insuper in Epistola ad Africanum disertè testatur, apud Judaeos nec legi nec inter sacros, sed inter apocryphos tantum recenseri. S. Hieronymus Praefat. in Lib. Salomonis haec habet de illo: *Legit Ecclesia ad edificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Et Praefat. in Judith ex nov. edit. confirmat superiorem sententiam de Judaeis, quos dicit eum Librum legere inter apocrypha, sive juxta alia Exemplaria, inter hagiographa; nec tamen dijudicandis de religione controversiis ex eo testimonia peti. Hi-

r Luther. Praefat. in Lib. Judith. Germanice.

storia tamen veritatem ab illis probari dicit, ejusque Exemplar Chaldaum servari.

Verum ante S. Hieronymum vetustissimi PP. tanquam Canonicam Scripturam Opus laudaverunt, veluti S. Clemens Papa in Epist. ad Corinth. Pseudo Clemens in Constitutionibus Apostolicis, Origenes Hom. 19. in Jeremiam, & in Joannem lib. 3. Africanus, S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 4. Tertullianus de Monogam. cap. 17. & S. Ambrosius de Offic. lib. 3. & de Viduis, qui omnes in publicis ad populum catechesibus Judith in exemplum virtutis proponunt. Paria apud S. Hieronymum Epist. ad Furiam servata intelligimus, eundemque Librum à Concilio Niceno receptum agnoscit, non quidem expresso eà de re sancto decreto, sed facile quod hujus Concilii Patres nonnulla testimonia ex illo laudent (s). Pseudo Athanasius in Synopsi conspectum exhibet ejus Libri, sicut & ceterorum Sacrae Scripturae. S. Augustinus (t) sicut & Ecclesia Africana univèsa expresso canone (u) probat. Gemina praefant Innocentius I. in Epist. ad Exuperium, & Gelasius in Concilio Romano. Laudatur à S. Fulgentio Epist. 2. ad Gallam, & à geminis vetustis Scriptoribus, quorum Sermones in Appendice 5. to. S. Augustini leguntur (x). Longam tandem & tot annorum serie continuatam ejus Libri possessionem, ut Canonicus & Divinus habetur, Concilium Tridentinum sess. 4. firmavit.

Quicumque ex Patribus Opus illud è suis Catalogis remotum voluerunt, Canonem illi solummodo Hebraeorum instituendi (in quo sane omnes alia quam Judaeorum lingua scripti Libri desiderantur) propositum habebant. Nihil tamen prohibet, quin illam etiam historiam tanquam genuinam agnoscerent, neque S. Spiritus afflatu scriptum Librum unquam negarunt. Judaei, qua sunt in veteres Scripturas suas superstitutione, addere aliquid veteri Scripturarum suarum catalogo religiosum duxerunt; quare recentiorum Authorum opera scripti Libri, quamquam eorum etiam confessione sacri & probati, è censu Sacrorum ablegantur. Eas leges nunquam sibi praescribens Ecclesia Catholica, Canonem suum ita instruxit, ut plures etiam alios Libros authenticos omnes complecteretur.

s Vide Not. Mariani & D. Jo. Martiani in Praefat. Hieron. in Judith. Idem Epist. ad Princip. Ruth, Esther, & Judith tanta gloria sunt, ut sacris voluminibus nomina acderint. t De Doctr. Christ. l. 2. c. 8. u Conc. Carth. 3. can. 47. x Serm. 48. & 49. nov. Edit.

a Joseph. contra Apion. lib. 1.

b 1. Par. 12. 27. c Ibid. ver. 28.

# DISSERTATIO

## DE ORDINE ET SUCCESSIONE Summorum Sacerdotum apud Judaeos.

**E**UM semper in Republica Hebraeorum gradum tenuit Sacerdotum, eamque in rebus tam religiosis quam politicis auctoritatem obtinuit, ut Sacerdotum privilegis, muneribus, & serie inexploratis, plenior de Republica & Religione illorum idea concipi nunquam possit. Porro Sacerdotii dignitas uni Tribui Levitica, & familiae Aaron reservabatur. Neque enim sacra illa dignitas vel suffragio totius populi, sive auctoritate Principum, sive ambitu & industria, sed nec virtutum merito, at generis tantum privilegio petebatur. Factum inde, ut viri ejus familiae omnem intenderent curam tabulis Genealogicis servandis, ne unquam contingeret, ut in saeculorum caligine alienus aliquis furtim in familiam irrepere.

Nec minor illis cura, ait Josephus, ne unquam cum aliarum Tribuum feminis jungerent connubia (a), quod non ab incolis tantum Judaeae, sed etiam ab aliis in Babylonia, Aegypto, & alibi versantibus servatum est. Mulierum enim, quibus cum connubia jungere volebant, Genealogias, & avorum nomina scrutatari Hierosolymam mittebant; vel si minus Genealogias, viros tamen earum rerum peritos sedulo interrogabant. Si quid forte finitri in regione accidisset, veluti cum regio bellis vastaretur, quemadmodum sub Antiocho Epiphane, Pompeio Magno, Quintilio Varo, & potissimum sub Tito & Vespasiano; Sacerdotes qui forte supererant, veteribus Catalogis reparandis, atque nominibus foeminarum, quae publice calamitati supervixerant in Tabulis referendis intendebant; neque enim captivas foeminas ducebant unquam, quarum nuptias potius, non secus ac alienigenarum abhorrebant. Factum inde, addit Josephus, ut *judicium integritatis hoc maximum sit, quia Pontifices apud nos à duobus millibus annis à nominati filii à patre conscripti sunt.*

Sacerdotium apud Hebraeos nullam Republicae munus à se alienum censebat, non juris dicendi, non militiae, non saecularis cuiusque dignitatis. Erant enim Sacerdotes in exercitu, modo copiarum Duces, modo Scribae, interdum milites. Equis alius quam Sacerdotes buccinis in exercitu canebat? Jojada Sacerdos (b) & Sadoch sub Davide (c) manui lectissimae, & ad

omnes usus belli instructissimae Sacerdotum & Levitarum praerant. Achimas filius Sadoch sub Salomone Regiarum adium oeconomum gerebat, tum & impensas per unum anni mensem Regiae mensē curabat (d). Banajas filius Jojadae Sacerdotis praerat manui 24000. Praetorianorum, suo mense Aulae excubias agentium (e). Sub Ezechia Praefectus aulae Regiae Eliachim filius Helciae Summi Sacerdotis legitur. Machabei, quorum est inclutum in armis nomen, & quorum opera usus est Deus, ut prolapsam cultum & Religionem suam restitueret, non ipsi tantum, sed maxima etiam copiarum ipsorum pars genus ex Aarone referebant. Josephus historicus tum rerum gestarum cum Scriptorum gloria insignis, unus erat ex Ducibus. Omnia ferme Israelis Tribunalia à Sacerdotibus tenebantur, qui ad praescriptam Mosaicarum Legum normam jus populo dicebant (f). Sed potissimum eque ac nobilissimum ipsorum munus illud sine controversia habendum est, quod ministerium Altaris, populi institutio, & studium Legis ad Sacerdotes unice spectaret.

Tres nati sunt è Levi filii, Gerson, Caath, & Merari, ex quibus totidem numero hominum florentissima familiae, Dei servitio addictae, non eodem tamen singulae honore & dignitate, derivatae sunt. Namque Aaron è posteris Caath electus fuit à Deo, ut ipse primus, ceterique deinde ejus posteris Sacerdotii munus in Israele obirent; cum interim reliqui ex eadem familia, sicut & Gersonitae ac Meraritae, inferiores minoris momenti dignitates obtinerent. Aaronis igitur posteris electis unis ex omnibus in Sacerdotes Domini commissum munus, ut soli ad Altare Domini thymiamati & sacrificiis offerendis accederent. Caathitae, Gersonitae & Meraritae intra Levitarum ordinem tantum, ad Sacerdotum nutum ministrantium, & ab illis secundi sese continuerunt. Singulorum munera, ordo & gradus fusi in Sacra Scriptura exponuntur.

Universo Clero praerat Summus Sacerdos, qui totius Religionis cardo & vertex habebatur. Permissus illi in Sanctuarium ingressus, cujus aditus ceteris omnibus claudebatur; quin nec Summo Sacerdoti nisi semel in anno, recurrente solemnis Expiationis die, patebat (g). Summa illi in Judiciis potestas (h) & arbitrium in-

d 3. Reg. 4. 15.

e 3. Reg. 26. 5.

f Vide nostram Dissert. de politia Veterum Hebraeorum.

g Levit. 16. h Deut. 17. 12. 13.

con.

Levit. 21. 17.  
18.  
k Levit. 21.  
10. 11. 12.  
I Vide 1. Reg.  
13. 9. & 20. 7.  
Exod. 28. 30.

controverſis de Religione majoris momen-  
ti. Non niſi puris ortus natalibus in Sum-  
mum Sacerdotem eligebatur; cautumque  
ne quis certis quibusdam corporis vitis, de  
quibus in Lege, affectus aſumeretur (i). Fu-  
nus illi lugere nefas (k). Deus illi ſingulari  
privilegio Oraculum veritatis contulerat  
(l), quo futurorum eventus referaret, cum  
Sacerdotalibus veſtibus inſigniretur. Ve-  
ſtes illæ, quibus in Templo utebatur, Regali  
dignitate ſplendebant, nec imparibus, quàm  
Summum Sacerdotem decerent, proventi-  
bus ditabatur. Levitis decima cedebat  
omnium proventuum Iſraelis, cum ipſi vi-  
ciſſim earum decimarum decimas ſolvere,  
Sacerdotibus juberentur; ſemper tamen opi-  
mior portio ad Summum Sacerdotem ſpe-  
ctabat.

Ampliſſimis hiſce privilegiis muneribus-  
que tanta Summo Sacerdoti authoritas con-  
ciliabatur, ut ne ipſi quidem Regi pluri-  
mum concederet. Accidit etiam interdum  
ut ambæ illæ dignitates, ſacra nempe &  
civilis, in unam perſonam coaleſcerent.  
Phinees & Heli unâ ſimul Principes erant  
& Republicæ & Sacrorum. Rerum poti-  
ente Joas, Summi Sacerdoti Jojadæ am-

pliſſima habebatur in univerſa gente an-  
thoritas, Summus Sacerdos Heliacim ante-  
quam ad ſupremam dignitatem elevaretur  
Aulæ Præfeſtus erat ſub Ezechia; ad Sa-  
cerdotium deinde elevatus arbiter fuiſſe  
Reipublicæ ſub Manafſe legitur. Poſt ſo-  
lutam captivitatem, nempe poſt Joſue fi-  
lium Joſedech aduſque Antiochi Epiphaniſ  
perſequutionem Summorum Sacerdotum  
authoritas plurimum inter Judæos obſer-  
vabatur; donec poſt obitum ejuſdem Prin-  
cipis delatum ad Afmonæos Sacerdotium,  
cum ſuprema Republicæ dignitate ſocia-  
tum eſt. Herodes Magnus è re ſua judi-  
cavit ſi à Sacerdotio eadem familiamotâ  
arbitrariam & ad nutum Principis confe-  
rendam eam dignitatem preſtaret.

Conſtat ſeries Summorum Sacerdotum  
ab Aarone fratre Moysiſ aduſque Phan-  
niam à Zelotis in poſtrema Urbis obſi-  
dione per Titum electum, quæ ſcilicet fer-  
ries 78. Sacerdotum ſucceſſione conſtans  
1521. annorum ſpatium occupat. Expan-  
ſum hic omnium catalogum exhibebimus  
ſedulo pro viribus annotantes, tum obi-  
tus, tum Sacerdotii annos.

LATERCULUM CHRONOLOGICUM SUMMORUM SA-  
CERDOTUM HEBRÆORUM.

Series ex variis Sacrorum Librorum locis deducta.	Series ex 1. Par. 6. 3. 4. 5. 6. &c.	Series ex Joſepho Antiquit. lib. 5. cap. 15.	Series ex Chronico Judæorum inſcriptio Seder Olam Zuta.
1. Aaron frater Moysiſ, obiit A. M. 2552. juxta Uſſerium.	1. Aaron.	1. Aaron.	1. Aaron.
2. Eleazar, obiit circa A. 2571.	2. Eleazarus.	2. Eleazarus.	2. Eleazarus.
3. Phinees, obiit circa A. 2590.	3. Phinees.	3. Phinees.	3. Phinees.
4. Abiezer five ) Abiſue. )	4. Abiſue.	4. Abiezer.	sub Ju- dicibus.
5. Bocci. )	5. Bocci.	5. Bocci.	
6. Uzi. )	6. Uzi.	6. Ozi.	
7. Heli è familia Ithama- ri, aſſumptus A. 2848. obiit circa 2888.	7. Zariaſ.	7. Heli.	4. Heli.
8. Achitob.	8. Merajot.	8. Achitob.	5. Achitob.
9. Achia 1. Reg. 14. 18. circa A. 2911. ſivè 2912. vitam agebat.	9. Amarias.	9. Achimelec.	
10. Achimelec five Abiat- har à Saule occiſus A. 2944.	10. Achitob.		6. Abiathar ſub Davide.
11. Abiathar, ſivè Achimelec, ſivè Abimelech ſub Davide ab A. 2944. uſque ad A. 2989.		10. Abiathar.	
12. Sadoc ſub Saule, Da- vide, & Salomone ab A. 2994. uſque ad 3000.	11. Sadoc.	11. Sadoc.	7. Sadoc ſub Salo- mone.
13. Achimas ſub Roboamo ab an. 3030.	12. Achimas.	12. Achimas.	8. Achima ſub Ro- boamo.

LA-

LATERCULUM CHRONOLOGICUM SUMMORUM SA-  
CERDOTUM HEBRÆORUM.

Series ex variis Sacrorum Librorum locis deducta.	Series ex 1. Par. 6. 3. 4. 5. 6. &c.	Series ex Joſepho Antiquit. lib. 5. cap. 15.	Series ex Chronico Judæorum inſcriptio Seder Olam Zuta.
14. Azarias ſub Joſaphat idem fortè ac Ama- rias 2. Par. 19. 11. circa A. 3092.	13. Azarias.	13. Azarias.	9. Azarias ſub Abia.
15. Johanan, fortè Joja- da ſub Joas 2. Par. 24. 15. circa an. 3126. an- nis 130. grandævus obiit.	14. Johanan.	14. Joram.	10. Joachaz ſub Jo- ſaphat.
16. Azaria facillè idem cum Zacharia filio Jojadæ occiſus an. 3164.	15. Azarias.	15. Iſſus.	11. Jojarib ſub Jo- ram.
17. Amarias, fortè Aza- rias ſub Ozia ann. 3221.	16. Amarias.	16. Axiora.	12. Joſaphat ſub Ochozia.
18. Achitob II. ) ſub Jona- than Re-	17. Achitob.	17. Phideas.	13. Jojada. ) ſub 14. Phadca. ) Joas.
19. Sadoc II. ) ſub Juda.	18. Sadoc.	18. Sudeas.	
20. Urias ſub Achaz flo- rebat an. 3265.		19. Julus.	15. Sedecias ſub Amafia.
21. Sellum pater Azariae, & avus Helciae.	19. Sellum.	20. Jothan.	16. Joël ſub Ozia.
22. Azarias qui ſub Eze- chia florebat 2. Par. 31. 10. circa an. 3278.		21. Urias.	17. Jothan ſub Joa- than.
23. Helcias ſub Ezechia, filium habuit Eliacim, ſivè Joakim, qui flo- rebat ſub Manafſe, & obſidionis Bethu- lia tempore rerum adminiſtrationem ge- rebat circa ann. 3348. etiam ſub Joſia præ- ſuit ann. 3380. & ultra etiam ſub nomine Hel- ciae. Vide Baruc. 1. 7.	20. Hil. ſi- vè Hel- cias.	22. Nerias.	
24. Azarias facillè Nerias pater Saraia & Ba- ruc.	21. Azarias.	23. Odeas.	
26. Saraiaſ noviffimus Pon- tiffex ante captivi- tatem, occiſus anno 3414.	22. Saraiaſ.	24. Saldum.	18. Uria ſub Achaz.
27. Joſedech in captivita- te Babylonica ab an. 3414. uſque ad 3469.	23. Joſedech.	25. Elcias.	19. Neria ſub Eze- chia.
28. Joſue redux Babylone ann. 3468.	24. Joſue.		20. Hoſatah ſub Manafſe.

29. Joachim Xerxe regnante. Antiq. l. 11. c. 5.  
30. Eliaſib, ſeu Joaſib, five Chaiſb, ſub Nehemia an. 3350.  
31. Jojadas, ſivè Judas. 2. Eldr. 12. 10.  
32. Jonathan, five Joannes.  
33. Jeddo, five Jaddus. Jerofolymis excepit Alexandrum Magnum ann. 3673. Mortuus  
an. 3682.  
34. Omas I. aſſumptus a. 3682. regnat ann. 21. moritur a. 3702.  
35. Simon I. cognomento Juſtus, aſſumptus a. 3702. ſeu 3703. mortuus a. 3711.  
36. Eleazarus aſſumptus a. 3712. Sub eo Pontiffice Verſio Septuaginta adornata fertur  
a. 3727. Mortuus a. 3744. 37. Ma-